


## Exercitatio Theologica Quinta De Luce Increata Et Creata

Tubingae: Reisius, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872463109>

Druck Freier  Zugang







78.



Fa - 1092(78) (SON)







37. Geom. Henricus Keller de Magistratu Pol.  
 38. Königens Hirkander Satyra in Bökelmanni Dissert.  
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.  
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.  
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.  
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-  
 minis Episcopo Spalatensi.  
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis Indici Syncretismi  
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.  
 44. Erney Affligg Risus Unschuldigmüßmüß  
 Luffen.  
 45. Melchioris Corneci Aristoteles rediret R. Cathol.  
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.  
 ad Orat. inaug. O. Luhn.  
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.  
 48. Jo. Reinhart Brecht de Pœnit. Iterabili.  
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practicis.  
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecture de Miliammo  
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.  
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.  
 52. Christoph. Matthiac Pfaffig de Gratia et Præ.  
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei  
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.  
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.  
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii  
 Tridentini

J. S.



EXERCITATIO THEOLOGICA  
QUINTA

*De*  
**LUCE INCREATA  
ET CREATA,**

*Quam,*  
Prælucente Summi Numinis Gratiâ,

**SUB PRÆSIDIO**

**VIRI**

*Reverendissimi,*

**DN. JOHANNIS ADAMI  
OSIANDRI,**

**SS. Theologiæ Doctoris Consummatissimi, Ejusdem  
Professoris Primarii Celeberrimi, Universitatis Can-  
cellarii Eminentissimi, Ecclesiæ Præpositi Di-  
gnissimi,**

*Fautoris, Evergetæ & in Christo Patris sub-  
missâ animi veneratione de venerandi, suspiciendi,*

Publico Eruditorum Examine submittet

**JOHANNES TULLA,**

Augustanô-Vindel.

*IN AULâ THEOLOGORUM NOVâ.*

**ANNO Salutis M DC LXXXIII.**

*Die Junii ultimo,*

*Horis antè- & pomeridianis.*

**TUBINGÆ,**

Typis JOHANN-HENRICI REISII.

876.



EXERCIATIONES THEOLOGICAE

LUCIE ...

Principes ...

DR. JOHANN ...



EXERCITATIO THEOLOGICA  
QUINTA

De

LUCE INCREATA  
ET CREATA.

Th. LXXX.

**D**icitur autem DEUS *Lux primò Ratione Simplicitatís*, quia non est lucidus, sed ipsa Lux, quod enim lucidum tantum illud aliquid heterogenei admittere potest, at ipsa Lux omne aliud excludit, omnem compositionem refugit, omnem mixturam respuit, adeoque meram simplicitatem & puritatem dicit, quod satis luculenter docet *primò*, Jacobus vocans DEUM Patrem Luminum, apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio, nulla mutatio, nulla variatio, nulla vicissitudo, quia nihil in illo diversum aut alienum quod huc conferre possit, imò ne quidem *γενής & χρονία*, ullum mutationis vestigium, vel umbra, verè Jehovah Exodi 3. v. 14. Malach. 3. v. 6. *Secundò* ex Patribus Author *Quæstionum & Responsionum* ad Orthodoxos, qui Justinus esse putatur, cujus verba ita habent: *Qui neminem habet, qui se fecit & composuit, neque factus est, neque compositus. Propterea in DEO quidem dicimus æternam esse co-existentiam, non autem compositionem.* Addit rationem Augustinus lib. XI. de Civitate DEI cap. 10. scribens: *Ided simplicem dici DEUM, quia, quod habet, hoc est, excepto quod relativè queque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium; nec tamen ipse est Filius: & Filius habet Patrem; nec tamen ipse est Pater. In quo ergò ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est, quod habet. Sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, & eadem vita ipse est. Propter hoc itaque Natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit admittere: vel aliud sit habens, aliud quod habet. Tertid, ipsa ratio humana aliquatenus attingit. Plutarchus, postquam τὸ ἐν Φοῖβῳ τοῦ Ἰερέως Delphici inscriptum exposuisset, addit: Sic itaque DEUS nobis est venerationis studio salutandus, atque compellandus,*

N

us,

24

23.8

22

21

20

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6



dus. Nisi mavis veterum quorundam fabulam *ἄν* Unum es. Non enim multa sunt numina, sed unum, non ut unusquisque nostrum congeries ex infinitis diversissimisque affectionibus variè commixta, quomodo ex omnis generis hominibus solennes conventus conflantur. Sed unum oportet esse id, quod est: & esse id, quod unum dicitur. Nam diversitas cum differentiâ Entis ponitur, jam ad procreandum id, quod non sit Ens, vergit. Unum autem quod est, sincerum est, & mixtionis purum. Alterius quippe cum altero mixtione res contaminantur. Quo pacto *Homerus* inquinari ait puniceo colore Ebur tinctum, & infectores colorum mixtos corrumpi, mixtionem corruptelam nominant. Ergò unum esse neque cum alio temperari semper competit in naturam interitus expertem ac puram.

## LXXXI.

Doctores Pontificii ita disputant: Prima conclusio. In Deo non datur compositio ex materia, & forma. Est de fide, ut constat ex Concilio Lateran. c. *Firmiter*. & c. *Damnamus*. de summa Trinitate, & fide catholica. Et probatur, quia Deus est purus actus: ergo non potest esse compositus ex materia, & forma; nam esse purum actum est esse ens ad eò perfectum, quod non habeat potentialitatem ad recipiendum præterea aliquid aliud perfectionis, & entitatis; materia autem est pura potentia ad recipiendam perfectionem formæ. Et confirmatur, quia in re omninò spirituali, materia esse non potest, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, utpote ut optimum ens; melius autem est ens spirituale, quàm corporeum: ergo in Deo non potest reperiri compositio ex materia, & forma. Et denique, quia quod habet materia, est bonum per participationem formæ: Deus autem cum sit primum ens, & bonus per essentiam, non potest esse bonus per participationem; ac proinde nec habere materiam. Secunda conclusio. In Deo non datur compositio ex natura, & supposito; sive ex Deitate, & suppositualitate, seu personalitate. Probatur, quia divina essentia, seu natura, infinita est in omni genere entis; ergo debet sibi identificare omne ens, quod cum ipsa non habet oppositionem: sed divinum suppositum, nullatenus habet oppositionem cum natura, & essentia divina; sed summam coherentiam & unionem; ergo divinum suppositum ex natura  
 rei



rei identificatur cum natura divina; atque aded inter naturam, & & suppositum divinum, non potest ulla intercedere compositio ex natura rei. Inquires. Cum nomen Dei sit vocabulum concretum, & necessariò, debeat significare aliquod suppositum, quodnam est suppositum, de quo loquimur, quando asserimus in Deo non dari compositionem ex naturâ, & supposito? *Cajetanus* censet vocabulo Dei, significari in præsentem individuum naturæ divinæ: eo quod sit quoddam habens Deitatem, & subsistens substantia absoluta, atque aded communicabili tribus suppositis relativis, quæ sunt tres divinæ personæ. Existimant n. quidam præter tres substantias relativas, esse subsistentiam quandam absolutam, quæ constituit istud individuum in natura divina: quod significatur vocabulo, Deus. Hoc tamen non placet, ut ostendetur in Tractatu de Trinitate, ubi de hoc erit sermo. Dicendum ergo est, vocabulo Dei, nos intelligere individuum, seu concretum Deitatis identificatum cum tribus suppositis divinis, quibus subsistit individuum. Notandum tamen est, nobis non probari rationem, qua D. Thom. in hoc loco, artic. 3. intendit probare, in Deo esse idem suppositum, & naturam: quia videlicet quæ carent materia, se ipsis sunt individua, & supposita: nam ut fides docet, Verbum divinum assumpsit naturam humanam singularem, & individuum; & non assumpsit personam, vel suppositum; similiter potuit assumere naturam Angelicam, relicto supposito ejus: ergo suppositum, aut subsistentia in rebus spiritualibus non est idem quod natura. Tertia conclusio, Deus non collocatur in prædicamento, atque aded in eo non datur compositio generis, & differentiæ. Probat, quia quicquid est in prædicamento, clauditur in ipso, & continetur: id autem quod infinitum est, sicut Deus, non potest claudi, & contineri ab alio: ergo neque esse in prædicamento. Et confirmatur, quoniam Deo repugnat omnis limitatio: sed si Deus haberet genus, quod limitaretur per differentiam, & esset in potentia, ut perficeretur ab ipsa, daretur in Deo aliquid limitatum, & in potentia ad alium: quod est absurdum. Præterea sequeretur, Deum non esse infinitum: nam ratio generis non posset esse infinita, quoniam illi deesset ratio differentiæ. Similiter rationi differentiæ deesset perfectio generis, neutra ergo esset infinita; quod si neutrum infinitum



est, nec illud quod resultat ex illis infinitum esse potest: nam ex duobus finitis non potest resultare infinitum.

## LXXXII.

Vocatur insuper DEUS *Lux ratione Sanctitatis*, quia non est lucidus, sed ipsa Lux adeoque omnem impuritatem excludit, nullius maculæ scditatem compatitur aut coadmittit, meram sanctitatem dicit, & separatam quid, ab omni alio, quod aliqua labe adpersum, ut Sanctum in Scripturâ describitur, quod ipsum evincit primò Effatum illud Davidis Psalm. 5. v. 5. *Non DEUS volens iniquitatem tu es: neque habitabit juxta te malignus, neque consistent gloriabundi ante oculos tuos: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium: Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Secundo illud Tertulliani scribentis cap. 14. de Resurrectione: *Nisi homo deliquisset, optimum solummodò DEUM nosset, ex nature proprietate: at nunc etiam justum cum patitur ex cause sue necessitate: tamen & hoc ipso optimum, dum & justum: Et bono enim juvando & malo puniendo justitiam exigens, utramque sententiam bono præstat: hinc vindicans illud, inde remunerans illud.* Tertiò, ipsa quoque quodammodò ratio, Ita enim Plato lib. 4. de LL. *DEUM semper judicium comitatur, eos qui à divina Lege desciverunt, puniens. Cui quidem judicio, quicumque felix futurus est, adherens, humilis subsequitur, atque compositus. Qui autem superbià elatus est, quod pecunia vel honoribus antecellat, vel corporis formâ polleat; quâ cum juvenilis animus dementiâ simul ardeat & petulantia, quasi nec Principe, nec Duce ullo indigeat, sed aliorum sufficiens ipse Ductor sit, is penitus à DEO deseritur: Desertus autem exsultat omnia simul perturbans, multisque videtur minimè contemnendus. Brevis tamen postea inculpabili DEI punitus judicio seipsum, domum suam, civitatemque universam simul evertit.*

## LXXXIII.

De hoc puncto ita philosophantur Theologi Pontificii: Assertio I. DEUS est summum bonum in genere entis, tum bonitate absoluta perfectionis; tum etiam respectiva convenientiæ, & appetibilitatis. Ita S. Thomas quæst. 6. a. 1. & 2. & est de fide, ac extra controversiam, & passim asseritur in Scriptura, & à Patribus, Psalm. 117. v. 1. *Constemini Domino quoniam bonus.* Sc.

S. Au-



S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. dicit: *Trinitatem divinarum personarum esse summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur.* Et prima pars patet ex dub. præcedent. Ubi probavimus, Deum esse ens omnium perfectissimum. Secundam partem tradit S. Dionysius cap. 4. de divin. nomin. ubi docet, Deum esse omnium bonum, sicut ex quo omnia subsistunt. Eandem bonitatem per respectum ad creaturas intelligentes, præsertim justas, sæpe exprimit Scriptura, ut Psalm. 71. v. 1. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Thren. 3. v. 25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, anima querenti illum.* Ratio est. Tum quia in tantum quodque est bonum bonitate entis, in quantum est Ens: sequitur enim passio naturam subjecti: Deus autem summum, ac præstantissimum, est Ens, ex dictis quæst. 1. dub. 5. Ergo & summum bonum. Tum quia Deus veluti causa prima & universalis modo excellentissimo continet omnem perfectionem, & bonitatem cujusque entis creati. Nec obstat, quòd juxta S. Augustinum lib. de natura boni capit. 3. boni ratio consistat in modo, specie, & ordine; ut etiam docet S. Thomas hic quæst. 5. art. 5. quod tamen in Deo locum non habet; id enim pertinet ad rationem boni creati, non autem increati, nisi causaliter; ut notat ipsemet S. Thomas quæst. 6. art. 1. ad 1. Quem etiam illis terminis trifariam usum fuisse notat Cajetanus hic quæst. 5. art. 5. Hic enim per modum intelligit commensurationem principiorum efficientium, seu materialium; per speciem, formam; per ordinem, inclinationem ad aliquid. In quæstione autem 20. de veritate, per speciem intelligit formam; per modum, commensurationem ipsius esse ad essentiam, cujus est; per ordinem verò respectum perfectivi finaliter in ratione boni inclusum. Verum in 1. 2. quæst. 85. art. 4. per speciem intelligit formam absolutè; per modum mensuram ipsius formæ; per ordinem verò respectum ad aliud. Quæ quomodo reipsa consentiant, explicat Cajetanus ibidem. Assertio II. Deus quoque est summum bonum in genere moris, seu virtutis, & sanctitatis. Est itidem de fide, & extra controversiam. Patet ex Scriptura Matth. 19. v. 17. *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aternam? Qui dixit eis: quid me interrogas de bono? unus est bonus DEUS.* Et Luc. 18. v. 19. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus DEUS.* Ubi constat, sol-



lum, aut potissimum de bonitate moris esse sermonem. Idem patet ex multis Scripturæ locis, in quibus Deus vocatur *Sanctus*, ut Levit. 11. v. 44. *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Et vers. 45. *Sancti eritis, quia Ego sanctus sum.* Isai. 6. vers. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant; Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus DEUS exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Et rursum Apoc. 4. v. 8. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas; & in circuitu, & intus plena sunt oculis; & requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Idemque sancti nomen innumeris quasi locis Deo in Scriptura passim tribuitur. Ratio est. Quia perfecta bonitas moralis, adeoque sanctitas, in creaturis intelligentibus speciatim consistit in singulari quadam participatione naturæ divinæ per gratiam; qua fit, ut anima DEO grata reddatur; tum in virtutum perfecta possessione: id autem quod per essentiam tale est, perfectius est in eo genere, quam quod solum per participationem: nec dubium, in Deo omnes virtutes morales esse modo optimo; nempe aut formaliter, eas, quæ in ratione formali non involvunt imperfectionem, ut est charitas, misericordia, prudentia, &c. aut eminenter cæteras, ut est fides, spes, temperantia, obedientia, humilitas, &c. prout in simili de perfectionibus naturalibus dictum dub. præced. & docet etiam *S. Thomas* I. p. quæst. 21. art. 1. ad 1. Qua de causa sæpe etiam in Scriptura Deo virtutum perfectiones tribuuntur. Assertio III, Deus est per essentiam bonus utraque bonitate: idque Dei solius proprium est. Ita *S. Thomas* hic quæst. 6. art. 3. cæterique Doctores, qui etiam una cum *S. Thoma* ibidem art. 2. ad 2. huc referunt illud: *Nemo bonus nisi solus Deus*: licet assertionem ipsam non eodem modo omnes explicent, nec planè mens, & explicatio ipsius *S. Thomæ* difficultate careat, ut videre est apud *Cajetanum* ibidem, *Gregorium de Valentia* quæst. 6. punct. 2. *Molinam* quæst. 6. disput. 2. *Vasquez* disput. 24. Breviter dico, solum Deum esse bonum per essentiam, bonitate quidem transcendentali, tres ob causas. I. Quia solus bonus est bonitate per essentiam; cætera omnia per participationem, ut dictum in simili quæstione 1. dub. 5. Quæ est explicatio *Cajetani*, sed non adæquata menti *S. Thomæ* loco citat. 2. Quia sola boni-



bonitas Dei essentialiter habet, quod sit realis, & actualis bonitas; adeoque solus Deus est bonus per essentiam bonitate necessarid existente, ut *Molina* loco citat. & *Suarez* lib. 1. de Deo, cap. 8. num. 4. & patet ex quæst. 1. dubio 5. 3. Quia omnes res aliæ bonitatem aliquam accidentalem habent extra essentiam, Quod declarat *S. Thomas* citat. art. 3. Unumquodque enim dicitur bonum, secundum quod est perfectum, perfectio autem alicujus rei (in quantum scilicet est actu) triplex est. Prima est ipsa actualis existentia, secunda sunt qualitates, & potentia naturales ad operandum necessariae. Tertia est consecutio finis proprii, uti quies in loco, aut operatio circa optimum, &c. Quæ omnes perfectiones sunt extra essentiam rerum cæterarum; cum tamen sunt de essentia Dei: cujus solius essentia est suum Esse, ex quæst. 1. dubio 5. Et cui intrinsecè non adveniunt ulla accidentia; ita ut quæ de aliis dicuntur accidentaliter, Deo convenient essentialiter, ut esse potentem, sapientem, ex quæst. 2. dubio 2. & 5. & hac quæst. dub. 1. Neque etiam ipse ordinatur ad ullum finem alium, sed ipse est finis ultimus rerum omnium; in quo proinde etiam ipse seipso, & absque medio conquiescit. Significat quidem præterea *S. Thomas* in resp. ad 1. cæteras res nullam habere bonitatem præcisè secundum essentiam; sed hoc *Molina* intelligit de bonitate actuali: alias dubium non est, ipsas etiam rerum essentias secundum se, & seclusa etiam existentia, ita transcendentaliter bonas esse, ut sunt entia; cum bonum sequatur rationem entis. Qua de causa etiam *S. Dionysius* cap. 5. de divin. nomin. ait, bonum se extendere ad existentia, & non existentia. Idem multò clariùs est de bonitate moris, seu virtutis, & sanctitatis; hæc enim nulli creaturæ naturalis, aut essentialis est, nec etiam re idem est, cum natura ipsius: sed obtingit ei solum ex gratia, ut docetur cum *S. Thoma* in 1. 2. quæst. 109. Deo autem planè essentialis est. Siquidem bonitas ejus moralis in actu quidem secundo est voluntas Dei libera benefaciendi, aut rectè operandi, juxta rationem cujusque virtutis; quæ quidem voluntas, quatenus in Deo est, non distinguitur ab ipsa essentia divina; In actu verò primo est ipsa substantialis sanctitas Dei, ac reſtitudo naturalis voluntatis divinæ, seclusa omni perfectione etiam secundum rationem superaddita Essentia, & voluntati divinæ, quæ nimirum respondeat,



deat, aut habitui gratiæ, aut virtutis alicujus operativæ; cum Deus suamet naturali entitate sanctus sit, nec ullius habitus operativi etiam secundum rationem ac modum nostrum intelligendi indigus; utpote vi naturali suæ voluntatis ad operandum promptissimus, & expeditissimus. Eandem assertionem indicat *S. Dionysius* cap. 1. de divin. nomin. cum ita de Deo loquitur: *Ut bonitatis essentia, hoc ipso, quodd est, eorum quæ sunt, causa est omnium.* Et cap. 4. *Theologi ipsam, ut opinor, divinam essentiam bonitatem appellant; hoc ipso, quod bonum est, ut bonum per se, & essentia sua, in ea quæ sunt, omnia, bonitatem diffundat.* Unde etiam docet *S. Thomas* quæst. 6. art. 4. res creatas omnes denominativè bonas esse bonitate divinâ, sicut primo efficienti, exemplari, & finali totius bonitatis; formaliter autem bonas esse similitudine quadam divinæ bonitatis sibi inhærente; quæ est etiam propria & formalis rei uniuscujusque bonitas.

## LXXXIV.

Denique dicitur Lux *DEUS* ratione perspicacia, & scientia, quia non est lucidus, sed ipsa Lux, ipsa Scientia omnia illustrans, penetrans, absque omnibus tenebris, quas excludit, sive sint impuritatis, sive ignorantix, adoque merus Oculus, mera Lux, coram qua omnia sunt nuda & resupinata, ut insuper docet Scriptura Psalm. 139. v. 3. & 4. Davide ita perorante: *Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam & funiculum meum investigasti Et omnes vias meas previdisti: quia non est sermo in lingua meâ. Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima & antiqua, tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Mirabilior est scientia & sublimior, quam ut eam valeam.* Secundò Patrum Chorus inprimis *Cyrillus*, qui & ipsam & modum illius exponit, scribens in fine libri 31. *Theaur. Simplex & minimè compositus omnium predicatione celebratur DEUS. Quamobrem absurdum est, ipsum de se talem habere cognitionem dicere, qualem nos habemus. Nam si ipse aliud quiddam est; alia verò ac diversa est ab eo, quæ inest ipsi cognitio, compositus erit, & non simplex. Quum verò confessione omnium simplex sit; non est aliquid ab eo diversum illius cognitio. Nostra autem est alia causa. Nam propriâ quâdam ratione sumus secundum substantiam: in substantiâ verò sitam habemus cognitionem; velut colorem in corpore.* Igitur



non similiter & eodem modo sciemus quippiam ac DEUS, qui non eodem atque ille modo nos habemus. Sed ipse quidem, tanquam hoc ipsum mens omnium suprema, itidem, ut DEO convenit, tum ea, que sunt, tum seipso contemplantur. Nos autem qui datam nobis mensuram transgredi nequimus, velut in speculo & ænigmate incomprehensibilem cernimus DEUM. Tertiò Ratio etiam hominis, sic scribit Seneca Epistola 83. Vivendum tanquam in conspectu vivamus; sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit & potest. Quid enim prodest, ab homine aliquid esse secretum? Nihil DEO clusum est. Intere est animis nostris & cogitationibus mediis intervenit.

## LXXXV.

Pontificii Doctores ita hinc disputant: Conclusio est de fide certa, & lumine naturali nota, In DEO verè, & propriè esse scientiam. Prior pars probatur ex illo Paulus ad Rom. 12. *O altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ubi nomine divitiarum, secundùm phrasin Hebraicam, copiam, & abundantiam divinæ scientiæ significat, juxta illud ad Col. 2. *In quo sunt omnes thesauri, sapientiæ, & scientiæ Dei.* Idem probatur ad Eph. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum. Sciæ etiam supereminentem scientiam charitatæ Christi?* Ubi, ut optimè perpendit Herice, quatuor continentur dimensiones scientiæ Dei. *Prima*, æternitas sine principio, tam in tempore, quàm in causalitate. Quæ exprimitur nomine longitudinis. *Secunda* perfectio ejus extensiva, qua seipsum comprehendit, & omnia quæ extra ipsum sunt. Quæ declaratur nomine latitudinis. *Tertia* perfectio ejus, quasi intensiva, qua excedit, & supereminet omnem humanæ, & Angelicæ perfectionem scientiæ; quæ significatur nomine altitudinis. *Quarta* incomprehensibilitas ejus, quam exprimit vox illa profunditas. Est itaque divina scientia, æterna sine principio; adeò extensa, ut nihil ipsam lateat; Ita sublimis, & perfecta, ut excedat omnem perfectionem scientiæ creatæ, cum sit ipsamet natura, & substantia Dei, usque adeò incomprehensibilis, ut judicia ejus incomprehensibilia sint, & viæ ejus investigabiles, ut verbis utar Apostoli. Posterior pars probatur, quia cognitio intellectualis est perfectio simpliciter simplex, quæ in suo conceptu formali nullam involvit imperfectionem, neque oppositionem: atque



atque ita melior est ipsa, quàm non ipsa: ergò negari non potest, quin formaliter reperiatur in Deo, qui cum sit infinitus, & undequaque perfectus, & in omni genere: necessariò in seipso debet continere formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices. Consequentia est manifesta, quia melius est Deum esse formaliter intelligentem, quàm formaliter esse ignarum. Et confirmatur, quia si in Deo non esset cognitio intellectualis formaliter; neque in ipso esset generatio Verbi divini, neque providentia, neque prædestinatio, & reprobatio; nec posset esse legislator & justus iudex, decernens præmia, & supplicia: quia hæc omnia necessariò supponunt, ut ex se patet, propriam cognitionem intellectualem in Deo formaliter existentem. *Secundò* probatur ratione, qua utitur *D. Thom.* in hac quæstione, art. 1. quia immaterialitas est ratio, qua res cognoscens habent vim ad cognoscendum: sed Deus est maximè immaterialis: ergò maximè habet vim ad cognoscendum, atque ita in eo est summa scientia. Major in qua est tota difficultas, probatur experientia, qua constat, ea quæ habent vim cognoscitivam, eo ipso habere aliquem gradum immaterialitatis: nam res quæ in omnibus suis operationibus pendent à materia, omninò carent cognitione. Ut videre est in omnibus substantiis corporeis vegetativis. Immo plantæ, non habent facultatem cognoscendi, propter suam materialitatem, ut docet *Aristot.* 1. de anima text. 124. At verò bruta, jam habent aliquam cognitionem, quia in operationibus sensuum, minus pendent à materiâ; quia recipiunt species sine illa, saltem quoad esse conditionale, si conferantur cum materiâ, quâ ipsum objectum constat. Tandem intellectus qui magis à materiâ recedit, & quanto magis recedit, perspicaciùs cognoscit, ut experientia docet in homine & Angelo. Cum ergò Deus inquit *D. Thom.* sit in summo immaterialitatis, erit in summo cognitionis.

## LXXXVI.

Possemus etiam demonstrare DEUM esse Lucem ratione a-  
liorum attributorum, atque perfectionum, si per circulos conse-  
quentiarum ire animus esset, cum enim Lux dicat ipsum DEUM,  
dicit quoque omne illud, quod est in DEO, cum unum attributum  
alteri sit connexum, vel ex eo deducatur, faciliè esset de cæteris  
quoque



quoque differere, & Lucem illis ex Luce primâ affundere, Lumina explicare profundissimæ illius Lucis, verum cum hæc sufficiant pro instituto nostro & proximè illam Lucem declarent, ideoque non opus censemus excurrere ad omnia illa, quæ ex hoc centro possunt deduci vel radii, vel lineæ Divinitatis.

## LXXXVII.

Erronea itaque fuit primò opinio Gilberti Porretani, Episcopi Pictaviensis, qui attributa absoluta ab Essentiâ divinâ citra operationem mentis in DEO distingui docuit, quem *Bernhardus* aggressus fuit, & sectatores illius hæreticos vocavit, scribens: *Recedant à nobis charissimi, recedant novelli, non Dialectici sed Hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est DEUS, item & bonitatem, qua bonus, sed & sapientiam, qua sapiens; & justitiam, qua justus; postremo Divinitatem qua DEUS est DEUM non esse impiissimè disputant. Divinitate, inquirunt, DEUS est, sed Divinitas non est DEUS. Quamquam Tannerus dicat Gilbertum fassum fuisse inter essentiam & attributa absoluta nullam à parte rei esse distinctionem, ut referat S. Bernhardus Serm. 30. in Cantica, & lib. 5. ad Eugenium, asseruisse tamen attributa divina non prædicari de DEO in abstracto, sed in concreto, quasi DEUS non esset Sapientia, sed sapiens; ratum nimirum, naturam divinam & attributa absoluta à supposito seu attributis relativis à parte rei, ante omnem operationem intellectus esse distincta. Concilium tamen Rhemense docere videtur, statuisse Porretanum attributa omnia absoluta & hypostatica ab essentia DEI realiter distingui. - Secundò Palamitarum, qui sequentes Gregorium Palamam, primum Monachum postea Episcopum, Thessalonicensem dixerunt præter essentiam in DEO aliud aliquid esse reapse ab essentia divisum, quod quidem inferius ipsâ essentia verum non creatum, sed mediî ordinis. Denique tertio Scoti & sequacium Lycheti, Bargii, Bassolii, Nicolai de Nyffe, Guilielmi Vaxilongii, Francisci Mayronis, Petri de Aquila, qui statuerunt attributa divina inter se & ab essentiâ divinâ distingui ante omnem operationem intellectus, non quidem realiter strictè, sed ex naturâ rei formaliter, nec sublevat Scotum Guilielmus de Rubion cum Japello, quasi non senserit dari distinctionem actualem divinorum attri-*



attributorum inter se & ab essentia divinâ ante omnem operationem intellectus, sed tantum virtualem. Cum verba *Scotti* oppositum demonstrent, qui ita loquitur. Ad questionem respondeo & dico, quod inter perfectiones essentielles, non est tantum differentia rationis: hoc est, diversorum modorum concipiendi idem Objectum formale; talis enim distinctio est inter sapiens & sapientiam; & utique major inter sapientiam & veritatem: nec est ibi tantum distinctio Objectorum formalium in intellectu; quia ut argutum est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiva, nisi sit in Objecto intuitivè cognito &c. Est ergo ibi distinctio tertia, præcedens intellectum omni modo; & est ista, quod sapientia est in re, ex naturâ rei & bonitas est in re, ex naturâ rei, sapientia autem in re formaliter, non est bonitas in re.

## LXXXVIII.

Nec absque censurâ dimittendus *Conradus Vorstius*, qui simplicitatem DEI impugnavit ex eo, quia in DEO sint tres Personæ realiter distinctæ, cum reali autem istâ distinctione non posse subsistere simplicitatem, & quia in DEO sint multa Accidentia, nempe libera DEI decreta, dari itaque, ut ipse vult in DEO compositionem ex subjecto & accidente, adeoque falsum esse, in DEUM nullam cadere compositionem, & nullum in DEO accidens esse. Quanquam autem *Vorstius* in Apologetica Responsione ad objectionem *Festi Homii* scribat: hanc thesin calumniosè sibi à Festo tribui, quia simplicitatem essentia divinæ prolixè asseruerit, & veram compositionem rejecerit, & quamvis accidentia quædam in DEO locum habere ex dictis à se adstruxerit, non tamen essentiam DEI ex istis propriè componi se affirmasse. Quin potius id ipsum reverà negari à se ibidem, quatenus hæc DEI accidentia (nempe jam dicta Decreta ipsius seu libera volitiones ad extra tendentes: quarum etiam potissimum respectu aliud, & aliud in DEO esse dicatur) nihil ad essentiam DEI pertinere non semel isthic & in præcedentibus & in sequentibus asseri. In reliquis dictis Homonymias quasdam latere, sed alibi satis à se declaratas. Verùm ipsa lectio Apologiae hujus ostendit *Vorstium* hæcere constrictum, & quicquid molitur aut superaddit nihil esse, lutumque luto ita ab ipso purgari.

## LXXXIX.



## LXXXIX.

Nec tandem probare possumus sententiam *Roderici ab Ariaga Tomo 1. disput. 46. sect. 4.* & subsecutione prima disputantis contra *Molinam*, qui indignum censuit esse concedere DEO compositionem nota physicam ex genere & differentiâ, & idè affert relationem, ut sic non esse univocam respectu particularium relationum, sed analogam, ut scilicet vitaret illam compositionem, & scribentis displicere sibi duo in hac doctrinâ. Inter quæ primum illud, quod reputat absurdam eam compositionem metaphysicam: cum enim, inquit, concedatur compositio virtualis, & sine detrimento summæ simplicitatis DEI, cur dicit, repugnabit simplicitati DEI compositio metaphysica, quæ minor est & solum per intellectum.

## XC.

Sed & Sanctitati atque Justitiæ DEI essentiali obstrepunt filii tenebrarum, & quidem primò *Photiniani*. Ita enim *Socinus* in Prælect. cap. 16. *Non est in DEO ulla Justitia, quæ peccata omnino puniri jubeat, cui ipse renunciare non possit; est quidem in DEO perpetua Justitia, sed hæc nihil aliud est, quam æquitas & reßtitudo.*

## XCI.

Secundò ex Pontificiis malè philosophantur primò *Alexander, Albertus, Durandus, Paludanus, Major Marfilus, Scotus, Bassolis*, qui negant justitiam vindicativam, seu punitivam in DEO esse propriè justitiam, specialem virtutem, sed generalem, quæ complectitur omnes. Secundò illi, qui cum *Francisco Suarezio* contendunt justitiam DEI vindicativam, non esse justitiam specialem, commutativam scilicet vel distributivam, sed esse justitiam generalem gubernatricem, verum providentialem. Tertio *Molina, Lessus & Lorca*, qui dicunt dari in DEO peculiarem quandam justitiæ partem potentialem, sive potestativam, quæ deficiat à propriâ ratione justitiæ, ad quam pertineat vindicativa DEI justitia.

## XCII.

Tertio ex Calvinianis *Guilielmus Twisse Tomo 1. Vindiciarum Gratia libro 1. parte secundâ, digressione octavâ pag. 254.* scribere non est veritus: Nobis videtur asserendum, posse DEUM pro potentia suâ absolutâ peccata remittere, quamvis nulla intercessisset per mortem



mortem Christi Salvatoris pro peccatis satisfactio. Nec omninò nobis probari potest illud *Piscatoris*, DEUM scil. extra se agere aliquid ex absolutà & naturali necessitate, nempe punitionem peccatorum, & demonstrare hoc voluit tum ex eo, quia, si DEUS non possit peccata sine satisfactione remittere hoc esset vel per potentiam, vel per justitiam. Non per potentiam, quia si non posset, tum peccatum condonari sive non puniri esset simpliciter impossibile, & hæc propositio peccatum non punitur, constaret ex terminis. tum ex eo, quia DEUS possit mitiorem pœnam inferre peccatori, quam peccatum meretur, posse itaque pro absolutà suâ potentia pœnam universam suspendere; cur enim unum possit gradum subtrahere, non alterum nullam apparere rationem & proinde omnes. Possit etiam DEUM remunerari ultra condignum, Ergo & posse punire citra condignum & si hoc, aliquem gradum peccati dimittere impunitum, tum ex eo, quia si DEUS possit cruciatum quantumcunque etiam infernalem alicui inferre citra ullum demeritum, posse etiam non obstante, quantumcunque demerito, quantumcunque pœnam suspendere, quia DEUS multò prior sit ad benefaciendum, quam ad puniendum. Addit, si DEUS non possit peccatum impunitum dimittere, necesse esse, ut puniat illud necessitate absolutà, quod quidem cum ratione nequeat dici, quandoquidem non semper puniat, neque quantum possit, puniat. Hactenus ille, cujus argumenta in summam contraximus. *Secundò* ex Calvinianis Sanctitatem DEI pulsat *Johannes Scydlovius* in *Vindiciis Quæstionum difficilium & Controversiarum in Theologia* cap. 9. pag. mihi 123. scribens: Postquam proposuisset Quæstionem: An DEUS possit præcipere contrarium, ut omnibus præceptis Decalogi, ita potissimum primo, secundo & tertio. *Quidam eximius Theologus rejicit affirmativam sententiam aliquot Scholasticorum*, qui dicunt peccata contra Decalogum idèd solùm esse mala, quia DEUS ea prohibuit, adeoque posse DEUM in omnibus præceptis Decalogi dispensare. Ego tamen fateor non solùm me nullam rationem firmam videre in *Disputatione illâ Cl. Viri*, verum etiam in contrarium solidas rationes & principia posse produci, quibus sententia illius oppugnetur, quam *Disput. de Jure & Justitia DEI* thesi 3. exprimit. *Tertiò* ex eodem grege *Moses Amyraldus*



*myraldus* in *Tractatu gallico de Prædestinationibus* cap. 4. disputat contra *DEI* *Justitiam & Sanctitatem* sequentibus: *Si DEUS* in *continenti*, ex quo hominem creavit, *Est* *abysmé dans les enfers* ad *inferos & orcum* eum relegasset, *nullo respectu habito actionum* ejus *bonarum aut malarum*, ad ostendendum *supremum Imperium*, quod habet *super omnes res creatas*, *nullis terminis ac limitibus circumscriptum*; *creatura* esset in eo *acquiescere*, quippe *qua nihil aliud est*, quam quod *Creator* eam esse voluit, ideoque *penes ipsum esse de Jure absoluto pro lubitu de illa disponere*. Adde *Dissertationes theologicas* ejusdem, quarum *secunda de Jure DEI* in *Creaturas* inscribitur *Arminio & Stephano Curcellæo* opposita, *paria cum eodem facit Szydlovius* per *totum caput undecimum suarum Vindiciarum*.

## XCIII.

Non tamen *dissimulandum displicere* illa *aliis Calvinianis*, quibus *sanior mens & major pietas* circa *DEUM* ejusque *Sanctitatem & Justitiam*, unde etiam *castigavit Twissum Franciscus Turretinus*, *Szydlovium Voetius*, *Amyraldum* non tantum *Stephanus Curcellæus* in *Vindiciis*, quibus *suam & Arminii sententiam de Jure DEI* in *Creaturas* *adversus Mosis Amyraldi Criminationes* defendit, sed & *ipse Molinæus*, qui in *libro gallico Idiomate* conscripto *cap. 9.* non malè disputat, dicens: *Jus absolutum Creatoris non extendi debere usque ad patrationem operum injustorum*, neque *DEUM* uti posse eo, ad *propriam paraturam odio* *prosequendum*, *creaturam justam & innocentem*, eo quod *præter injustam punitionem DEUS* hoc *medio hominem malum redderet*, & *incitaret ad odium sui & recalci-trationem*: quem etiam *fructum perciperet homo ex amore Dei*, si *DEUS* eum *odisset & æternum torqueret*. Adeoque *concludit hanc Doctrinam Amyraldi adversam esse saniori Theologiæ & derogare bonitati, justitiæ & libertati divinæ*.

## XCIV.

Tandem *Luci Scientiæ divinæ* sese opponunt *Photiniani*, dum *futurorum contingentium Notitiam* in *DEO* *impugnant*, de quo *videndus Socinus* in *Prælect. Theol. cap. 8.* quem *secutus fuit Johannes Crellius*, qui inter *alia ita disputat*: *Dicitur est DEUM omnia scire*, etiam *alioquin abstrusissima*. *Quemadmodum verò, cum dicitur, DEUM omnia posse, ea intelliguntur omnia, quæ sub potentiam ullam cadunt,*



cadunt, seu quæ naturâ sunt possible; ita etiam cum dicitur, DEUM omnia scire, intelligenda sunt omnia scibilia, seu omnia, quæ sub scientiam illam cadunt. Scibilia autem sunt, quæ Entitatem, ut loquuntur, habent, sive respectu præteriti temporis, sive respectu præsentis, sive denique respectu futuri. Etsi enim etiam de non Ente loqui soleamus, & porro etiam illud aliquo modo intelligere, id tamen per se & quâ tale est, non magis intelligi potest, quàm tenebræ videri. Cum enim Non Ens, præsertim simpliciter ita dictum, nihil prorsus sit; omnem mentis obtutum, quâ tale est, effugit, & sub cognitionem non cadit. Cognoscitur tamen & æstimatur quodammodo ex suo opposito, hoc est, ex eo, quod est: quemadmodum tenebræ ex Lumine. Sic & impossible quodammodo cognoscuntur ex possible aut necessariis. Nam termini inter se aliqua ratione oppositi, ex quibus impossible veluti constitui finguntur, sunt, aut esse possunt, nisi fortè eorum alter sit planè negativus; qui itidem non nisi ex suo opposito intelligitur. Similiter & repugnantia terminorum revera est, in quâ impossibilitatis ratio fita est. Siquidem ea prohibet, quo minus termini illi componantur, & sic res impossible revera existat. Sic duos esse Deos summè impossible est. Cognosci autem idipsum potest, quia & quid sit supremus DEUS, quatenus, hic necesse est, intelligitur, & quid duo sint; similiter etiam pugna inter istos terminos tacita intelligitur & sic in cæteris. Jam verò Entia alia sunt potentia tantum, ut res qualicumque modo futura; vel actu; in quorum posteriorum numero non præsentia tantum sed & præterita hic ponimus. Horum quodlibet, prout Entitatem habet, à DEO cognoscitur. DEUS enim ita rem concipit, ut revera est, siquidem is nunquam fallitur. At cum quis aliter rem concipit, quam ea sese revera habet, errat ac fallitur. Quod ergo præteriit, ut præteritum concipit, & novit DEUS; similiter præsens, ut præsens; possible aut futurum, ut possible aut futurum, idque vel simpliciter vel sub quadam conditione. Porro cum possible, si latè hoc nomen sumatur, in duplici sint differentia: alia enim ita sunt possible, ut necessariò etiam sint futura; alia non necessariò, sed contingenter tantum; quæ posteriora plerumque simplici possible nomine intelligi solent: quodlibet istorum, prout sese reipsa habet, cognoscit Deus, ob rationem jam dictam. Necessariò ergo futura concipit, ut necessariò futura; contingenter futura, ut contingenter futura. Contingentium autem futurorum hæc est ratio, ut

possint



possint etiam non fieri. Ob hoc ipsum enim contingenter futura dicuntur, & necessariis opponuntur. Quare cum in se adhuc sint indeterminata: & in utramque partem aliquo modo indifferentia ac veluti flexibilia; DEUS etiam illa novit, ut indeterminata, & in utramque adhuc partem flexibilia. Diximus autem, illa aliquo modo esse indifferentia, non prorsus absolute ac simpliciter. Quia etsi omnia ejus generis ita sint comparata, ut & fieri possint, & non fieri; ferè tamen fit, ut in alterutram partem magis inclinent; hoc est, ut vel verisimilius fit illa futura esse, quàm non futura; vel contrà. Ejus autem rei ratio omnis latet in causis. Futura enim entitatis sua rationem totam à causis suspensam habent; & ideo possibilia sunt, quia cause extant, quæ eas producere, utut fortè longa effectuum serie interveniente, possint. & alia rursus certò ac necessariò futura sunt, quia cause tales extant, quæ necessariò ea sint producturæ; alia non necessariò, quia cause non extant necessariò ea producturæ. Quòd si ergò cause sint, quæ magis in id inclinent, ut agant, & effectum producant, quàm ut non producant; effectus etiam ipse magis futurus censetur, quàm non futurus. verbi gratiâ, si nubes cogantur densæ, quæ jamjam videantur pluviam emissuræ; contingenter quidem futura est pluvia; sed magis tamen censetur futura, quàm non futura; nisi evidens appareat impedimentum causis illis pluvia validius. Similiter etiam in contrarium se res habet. ut, hominem aliquem validum ac vegetum ad vesperam usque non moriturum, quàm moriturum, verisimilius est; licet mori interea possit. Et Græci quidem, ut ea, quæ certò futura sunt, ab iis distinguant, quæ sint verisimiliter futura; illa quidem ἐπιμύρα vocant, aut vocare lingua sue convenienter possunt; hæc verò μέλλοντα. quam distinctionem tradit ipse Aristoteles in libello de Divinatione per somnum. Causam enim reddens, cur quedam somnia, res futuras portendentia, reipsa non eveniant; ait, somnia ejusmodi esse similia signis illis, ex quibus futuras tempestates, pluvias, aut ventos, conjectare solemus, quæ tamen non semper eveniunt. Si enim contingat, ut potentior aliquis motus vim causarum tempestatem minantium impediatur, non respondet eventus signo illi. quo pacto & multa rectè ab hominibus decreta effectu suo carent, valentiori causa impediente. ὁλος γὰρ (inquit) ἔπαιν γίνεσθαι τὸ μέλλον, εἴ τὸ αὐτὸ τὸ ἐπιμύρον, & τὸ μέλλον. quæ ita reddidit interpretis: Omnino enim non omne fit, quod futurum erat. neque idem Quod erit, & Quod futurum



turum est. Quorum duorum, nempe τῷ ἐσόμενῳ, ejus Quod erit, & τῷ μέλλοντι, ejus Quod futurum est, hac est differentia, ut illud certò, ac porrò necessariò sit futurum; hoc verisimiliter tantum. Itaque illius planè determinata est veritas; hujus non item. Hinc illud etiam determinatè cognosci potest; hoc non item: & si quis hoc posterius determinatè mente concipiat, & futurum credat, fallitur. Aliter enim rem concipit atque est. Eadem autem ratio est etiam oppositi, hoc est, ejus, quod non est μέλλον aut ἐσόμενον. Quia verò ea, quæ propriè sunt μέλλοντα, seu verisimiliter eventura, nonnunquam ad ἐσόμενα, seu certò ac necessariò futura, proximè accedunt; idè quod ad verba attinet, sæpè ea confunduntur. & ne Græci quidem, in vulgari præsertim sermone, ea semper discernunt. Fit autem id propterea, quia vis causarum quarundam impediri difficulter, si à DEO non inibeatur, possit. Quantò autem difficiliùs vis causarum impediri potest, tantò effectus accedit ad τῷ ἐσόμενῳ propius. Sunt enim τῷ ἐσόμενῳ, ut diximus, quæ certò ac necessariò eventura sunt, ac porrò non possunt non fieri. At quantò difficiliùs vis causarum impeditur, tantò effectus ad ea, quæ non possunt non fieri, accedit propius. Difficultas enim impossibilitati vicina est, & quidam ad eam veluti gradus. Unde de rebus, quæ difficulter admodum impediri solent, dicere vulgò solemus, impossibile esse quin eveniant: & de eorum contrariis, hoc est, factu admodum difficilibus, impossibile esse ut eveniant. Quidni ergò illa simpliciter futura aut eventura dici queant, quæ difficulter impediri possunt; aut contrà non futura vel eventura, quæ vix fieri queunt? Idem de cæteris etiam est judicandum, quæ valdè probabile est vel eventura, vel non eventura. Cum ergò Deus omnia, prout reipsa se habent, cognoscat; ἐσόμενα, seu certò futura, cognoscit ut talia; similiter & μέλλοντα, ut μέλλοντα, seu verisimiliter eventura, pro ratione causarum, unde pendent. Eodem modo & ea, quæ in medio sunt constituta, & velut in æquilibrio pendent, ut talia novit. Quòd si dicas, illum ut ἐσόμενα concipere ea, quæ tantum sunt μέλλοντα, aut etiam prorsus media seu indifferentia; eum dices falli ac errare. Itaque inconsideratè illi faciunt, qui futura contingentia DEUM determinatè scire ajunt, quia alias non esset omniscius: cum potiùs idè illa determinatè futura non concipiat, quia est omniscius, & in rebus cognoscendis nunquam errat, nunquam non verum intellectum concipit. Veritas enim conformitas est seu convenientia intel-

lectus



lectus cum re ipsâ. Qui ergò ea, quæ re ipsa sunt indeterminata, aut non simpliciter futura, concipit ut determinatè ac simpliciter futura; ejus intellectus cum re non convenit, sed ei potius adversatur, ac porrò fallitur.

## XCV.

Inter Pontificios etiã inveniuntur, qui Luci divinæ Scientiæ detrahunt, & quidem primò illi, quos suppresso nomine refert *Thomas de Veritate quest. 2. artic. 1.* quorum aliqui dixerunt per hoc, quod DEO Scientiam attribuiamus, vel aliquid hujusmodi, nihil in eo poni, sed tantùm significari, causam esse creatæ Scientiæ; ut eã tantùm ratione DEUS scire dicatur, quia Scientiam creaturis infundit: aliqui verò voluerunt Scientias & alias ejusmodi perfectiones attribui DEO per quandam similitudinem proportionis, sicut ei attribuitur ira vel dolor aut pœnitentia, quia DEUS puniat, quemadmodum homines irati puniant, & DEUS destruat opus, quod fecerat, quemadmodum homines, quando pœnitent eos prioris consilii, DEUM itaque scientem dici, quoniam artificiosissima, perfectissima & suis principiis ac finibus congruentissima faciat opera, quemadmodum soleant homines scientes operari. Secundo illi, qui vel cum *Henrico I. p. Summæ art. 36. q. 2.* concedunt in DEO potentiam intellectivam & volitivam, vel cum *Capreolo* ponunt in DEO intellectum, quasi principium intellectio- nis, vel quasi actum primum ad nostrum modum intelligendi nitentes *Authoritate Justiniani* scribentis: Quomodo differt potentia ab actione, sic differt voluntas à volendo, nec non rationibus quoniam in DEO sit principium elicativum intellectio- nis, cum omnis actus supponat potentiam, intellectus & voluntas se moveant in Objectum, intellectus detur, ut ratione distinguitur ab actuali intellectio- ne, intellectus divinus sit potentia generativa Verbi divini, in DEO non sit impotentia intelligendi, siquidem intelligere possit, quod omnium rerum Causa est, etiã Sapientiæ suæ Causa sit secundum *Augustinum lib. 83. Questionum quest. 15. & 16.* & tandem, quia DEUS potuerit res contingentes non scire, si non futuræ & potuerit scire, si futuræ fuissent. Tertio illi, qui cum *Cra- brera & Ledesma* negant Sæientiam infallibilem & certam conditionatè futurorum, & asserunt Deum solummodò cognoscere, quid



sit verosimilius & probabilius. Ita tamen ut incertitudinem statuunt ex parte Objecti, Deumque certò admittant cognoscere probabilitatem objectivam, & in quibusdam etiam connexionem moraliter infallibiliter, quàm actus liber habeat cum suâ causâ & omnibus circumstantiis, nihil aliud verò cognoscere de futuris conditionatis, vel cum Navaretto existimant conditionatorum ejusmodi futurorum in Deo nullam scientiam formaliter existere, sed tantùm eminenter, aliæ verò Opiniones, quæ sese multiplicant cum Doctoribus ferè videri possunt apud *Henriquezium*, *Barnesum*, *Zumellum* & alios.

## XCVI.

Denique non nisi ex hypothesibus suis *Calviniani* procedunt relicta veritate, dum scil. fundamentum ponunt sequens: Scientiam visionis esse causam rerum, & inprimis actionum humanarum, de quo ita *Zanchius lib. 3. de Natura DEI cap. 2. q. 15.* Est opifex Architectus, qui varias ædium, quæ à se fieri possunt formas, in suâ conceperit, mente: deinde verò voluntate statuerit omissis aliis formis unam executioni mandare, & ita etiam re ipsa mandet. Hinc apparet conceptionem ædium causam esse cur postea ædificentur, non simpliciter, sed per voluntatem. Nisi enim voluntate decrevisset domum juxta hanc formam ædificare, nunquam ædificasset, & ita sola ædium Conceptio & Scientia Causa non fuisset ædium ædificatarum: ædium igitur ædificatarum Causam esse non solam præscientiam, sed hanc cum voluntate manifestum est. Ita Deus, licet apud ipsum non sit prius & posterius, tamen ordine naturæ per suam Essentiam prævidit, quæcunque à se fieri possent, eaque infinita. Horum quædam suâ voluntate statuit creare, gubernare, regere, reliqua omnia omittere: sic itaque præscientia rerum omnium per voluntatem fuit ad certa quædam rerum genera quodammodo definita: ac proinde præscientia hæc per voluntatem Causa est rerum omnium, quæ sunt & fiunt. In quæstione 14. quoque hæc habet: Si spectes Causam primam, Dei scil. præscientiam ac voluntatem, æternum & immutabile Decretum & Ordinem rebus omnibus præfinitum, omnia fiunt necessario, necessitate infallibilitatis. Hoc modo concedo, necessitatem rebus à DEI præscientiâ imponi, imò impositam esse ante



ante Mundi constitutionem, sed si causas suâ naturâ indefinitas consideremus, nulla est ipsâ absoluta necessitas imposita, quando suapte natura maneant indefinitè, & quæ ex illis sequuntur Effecta, verè sint contingentia. Etsi enim DEUS, quæ in utramque partem pendent indefinitæ causæ eas ad unum inclinât, hoc tamen non efficit, naturas causarum dissipando, mutando, & vim ullam illis faciendo. Sed hoc eâ efficit ratione, quæ tali naturæ conveniat. Præterea futurorum contingentium Scientiam fundant & constituunt in determinatione divinæ Voluntatis, & cum *Hornbekio* DEUM dicunt futura contingentia scire, hoc autem quod DEUS illa sciat nusquam certius fundari, quam in rerum contingentium verâ futuritione, quæ sit à determinatione divinæ Voluntatis, imò cum *Twisso* dissentientes putant constringi ineluctabiliter sequenti argumento: quia id quod futurum ab æterno, aut tale fuerit sine causa, aut per causam. Non prius, ergò posterius. Si autem per causam eam vel fuisse extra DEUM, vel in DEO. Non prius, quia ab æterno extra DEUM nihil fuerit. E. in DEO, in DEO autem aliam causam non posse dari præter Decretum, adde, quæ ibi leguntur reliqua.

## XCVII.

Spiritum Sanctum esse Lucem constat primò ex dictis Scripturæ Daniel. 10. vers. 10. *Fluvius ignis, rapidus que egrediebatur à facie ejus.* ubi hæc leguntur Matth. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Actor. 2. v. 3. *Et apparuerunt illis dispersitæ lingue, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: Secundò ex loco classico 1. Johan. 1. v. 5. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis: Quoniam DEUS lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si enim DEUS Lux est, & Spiritus S. est DEUS, ut ex Actor. 5. v. 4. Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed DEO. nostri demonstrant, planum est illum esse Lucem. Tertid ex testimonio Patrum: In specie linguarum ignearum, inquit *Cyrillus* Jerosolymitanus, sedit super illos, ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas im-*



ponantur capiti illorum. Cæsarius Nazianzeni frater comparans cum Joanne Baptista Joannem Apostolum, inter alia dicit: *Ille (Joannes Baptista) divinum & sacrosanctum Spiritum in specie columbæ vidit tantum super Verbum in carne baptizatum ex cœlis volantem: hic autem (Apostolus) in specie lingue ignis super suum ipsius proprium accepit caput una cum Condiscipulis in die Pentecostes.* Anastasius Sinaita sessionem istam comparat cum eo, quod dicitur in Genesi, quod Spiritus Domini ferebatur, seu incubabat super aquas, eas nempe cogens & uniens, quoniam aque populos Gentium præsignificabant, has verò lingue insidentes super Apostolos destinatos ad prædicandum Gentibus. Gregorius respondet his verbis: *In columba super eum apparere debuit Spiritus, qui non veniebat, ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. Et contra super Discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homines, atque idè peccatores, eos contra semet ipsos spiritualis fervor accenderet, & peccata, quibus DEUS per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent.*

## XCVIII.

Penè oblitus fuimus loci Dan. 10. de quo ita *Fernandus, Ebo-*rensis Professor: *Fluvius ignis, rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Per hunc fluvium igneum rapidumque intelligitur ultima illa sententia, quæ à Judice Deo magno impetu egressa corripiet malos, ac omnium mundi facibus involutos, ut in magnis inundationibus usu venire solet, præcipitabit in Tartarum. Erit autem duplex sententia, prior approbationis in vitam æternam illis verbis, Matth. 25. v. 34 *Venite benedicti Patris mei, possidere paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Posterior autem illis aliis: *Descendite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Utraque autem fluvio igneo, rapidoque suo modo continetur. Alia quidem forma, sed æquè terribili, exprimitur hæc eadem sententia à Deo prodiens Apoc. 1. v. 16. cum de ore Dei ad judicium venientis dicitur exire gladius anceps, utraque parte acutus, quem quidem igneo, rapidoque flumini bene respondentem facit Moyses, Deut. 32. v. 41. cum Dominum ita comminantem inducit: *Si acvero, ut fulgur, gladium meum, & arripuerit judicium, manus mea, ut idem fit fluvius igneus, rapidusque, gladius fulgurans,*



ac rapide vibratus in iudicium. Sententia ergò proferenda duas partes, quasi duas acies, habebit, quarum una pertinebit ad prædestinatos, altera ad reprobos, & utrisque erit utraque formidabilis, ac verè anceps: quoniam à sinistra omnis iniquus condemnabitur, à dextra verò *justus vix salvabitur*, 1. Pet. 4. v. 18. Dum ergò utrique evibrationem gladii suspensi præstolabuntur, horrore, ac tremore concutientur. Simili ratione pendebunt ad egressum ignei, rapidique fluminis, quasi timentes ad quam ejus ripam, interfuso præcipiti alveo, separabuntur, ad dextramne, an ad sinistram? Exod. 14. v. 13. Cum filii Israël jam essent prope mare rubrum, ac trepidarent ob instantes tergo Ægyptios, stetit Dominus in cælo Judex inter utrumque populum, reprimensque fluenta maris, ac molem aquarum suspendens, iussit transire Israëlitas, egressisque illis in dextrum littus, persequentes Ægyptios reductis aquarum fluctibus suffocavit, ac in littus sinistram eiecit. *Et viderunt*, inquit, *Ægyptios mortuos super littus, & cecinerunt Domino eum carmen*, &c. Ita continget illo die: Omnes ergò gentes stabunt trepidantes inter spem, & metum, donec fluvius igneus, rapidusque sententiæ Judicis, cuique populo suam assignabit ripam. Unde Nazianz. Greg. Jambico 9.

*Sicne libratum tenet*

*Censura, Judex, statio, cui comes tremor?*

*Hinc fons perennis bulliens flamma, &c.*

Quod verò fluvio comparetur sententia hæc judicialis ad expressionem horrois facit, sicut Apoc. 1. v. 15. vox Domini ad iudicium venientis, dicitur *vox aquarum multarum*. Et Ezech. 1. v. 24. sonus alarum terribilis dicitur, *quasi sonus aquarum multarum*. Ratio est, quoniam sicut multarum aquarum concursus, qualis esse solet in magnis illuvionibus, & sicut fluvios per abruptos velut scopulos, solet edere sonum quendam inconditum, & horribilem, ita vox prædicta per abrupta divini furoris ejaculata, horrendum quippiam insonabit, quo longè, latèque perterrefaciet reproborum subjectam multitudinem. Nam electis erit non terrificus fluvius, sed versa vice fluvius pacis, Esa. 48. v. 18. Per quem scilicet sperabunt ad æternæ pacis portum feliciter pervenire. Dicitur insuper fluvius iste igneus, quoniam cum in igne sit vis illuminans,

& ex-



& exurens, sicut sententia damnationis exuret impios; ita sententia approbationis illuminabit, ac exhilarabit prædestinatos. Ignis Babylonicus Hebræis pueris fuit quasi aura roris, ministris autem Regis fuit sæva combustio, Dan. 3. v. 22. Sic (ait Ambros. super Psalm. 36. iustis in die iudicii rorabit ignis, injustos exuret. Ideo illi dicuntur transire per ignem, & aquam, & venire in refrigerium, Psalm. 65. v. 12. quoniam illætos refrigerabit ignis. At isti non pertransientes, sed permanentes in igne torquebuntur. Denique quod fluvius iste vocetur rapidus, primum est, quoniam rapiet impios in infernum; pios autem ducet obviam Christo in æra, ut sic semper cum Domino sint, 1. Thessal. 4. v. 16. Dicitur autem hic fluvius igneus, rapidusque, hoc est, prædicta sententia à facie Domini egredi, id est, ab ipso Domino, nota phrasi in Scripturâ, quoniam etsi Pater quatenus Deus, ac aded tres ipsæ personæ primò, & principaliter judicabunt, tamen visibiliter, ac humano more, per faciem suam, hoc est, per secundam personam, quæ est facies Patris, seu imago ejus, simulque verus homo, accommodatiùs sententiam feret in homines. Idcirco enim *omne iudicium dedit Filio*, Joan. 5. v. 22. ut suprâ visum est.

## X C I X.

Verum multa hinc veniunt censenda. Supponit Auctor ille agi de sententia ultima & per fluvium illum intelligi, quod merum suppositum. Supponit loca adducta facere pro suâ sententiâ, cum tamen nihil minus quam pro illâ stent. Supponit præterea agi hinc de ultimo & universali iudicio, cum tamen illud non sit *ἐξαρῳνίων* apud Interpretes, qui attendunt ad *ψλ. 13, 14.* & de iudicio particulari accipiunt. *Secundò* eandem sententiam aliâ quidem formâ, sed æquè terribili exprimi à DEO prodeuntem Apoc. 1. v. 16., cum de ore DEI ad iudicium venientis dicatur exire gladius anceps, conjicitur, non probatur, obstat idem illi, quia Christus hinc sese non sistit tanquam Judicem ultimi diei, quo sensu dicitur ipsum venturum cum sanctis Angelis & processus describitur Matth. 25. v. 31, 32, 33. sed ut existentem in medio Candelabrorum sive Ecclesiarum, nec per *ῥομφαίαν ὀσσημον* sive gladium ancipitem ultima sententia præcisè designatur, sed generatim verbum Christi, quod pios convertit, impios interficit secundum illud Esaiæ 11. v. 4. quod agnovit *Benedictus*



medicus Pererius, scribens: Gladius ex ore Christi exiens, significat verbum Spiritus, sicut dixit Paulus Ephesis capite sexto: Sumite, inquit, gladium Spiritus, quod est verbum DEI, cujus maximam vim declaravit idem scribens Ebreis: Vivus est sermo DEI & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Appellatur autem gladius utraq; parte acutus, quia omni ex parte scindit, & ferit sermo DEI, omnique ex parte operatorius & perefficax est: quocirca in libro sapientia dicitur omnipotens esse DEI sermo. Nemo potest ei resistere, nemo cum impedire, aut vim ejus evadere. Vel enim scindit hominem dividens eum à vitis & jungens DEO, vel discissum & divisum à DEO, jungit diabolo, æternisque inferni suppliciis. Duplex istius gladii acies, est virtus miraculorum & innocentia atque sanctimonia vita: acumen verò, est efficacia veritatis divina. Nec locus ex Deuteronomio hunc facit, non tantùm, quia de gladio est sermo, non fluvio & comparatur fulguri, non flumini, sed etiam quia ibi de die extremo & ultimo judicio præcisè non est sermo. Unde ruunt quoque reliqua, quæ ex Exodi 14. produciuntur, & per similitudinem sententiæ præconceptæ adaptantur. Tertio ad expressionem horroris facere quod sententia hæc judicialis fluvio comparatur, sicut Apoc. 1. & Ezech. 1. itidem sumitur, non ostenditur. Nam primo fluvius in se per se & sua naturâ non exprimit aut figurat aliquid terribile, sed præscindit & cum addito tantùm tale quid figurat, ut constare potest ex Apoc. 22. vs. 1. Secundo de hoc fluvio non usurpatur vox aliqua designans horrendum quid in genere actus, sed talia verba quæ lenem potius & illimen fluxum significant, usurpatur enim de illo verbum מַנְּמַנְּ manans, tum מְצַיִן exiens, quorum prius est à מַנְּמַנְּ traxit, protraxit, & de aquis usurpata notat, stillavit, fluxit, videantur loca Judic. 5. v. 4. & Esaïæ 30. v. 25. denique supponitur Apoc. 1. v. 15. Vocem Domini ad judicium venientis dici vocem aquarum multarum. Ipse Pererius iterum aliud docere potest conterraneum, scribens: Vox Christi comparatur voci, id est, sono aquarum multarum: quia prædicatio doctrinæ Christi tam sonora fuit, ut in omnem terram exiverit sonus ejus; rectè autem dicitur: Aquarum multarum: aqua enim multe, ut Scriptura inquit, populi multi sunt: Prædicatio enim doctrinæ Christi, non in uno tantùm populo Ebreo, sicut prædicatio veterum Prophetarum conclusa est: sed omnem



terrarum orbem pervagata, ad omnes mundi gentes diffusa est. Eapropter quatuor habuit aque virtutes: unam restringendi fitim & cupiditatem rerum temporalium: alteram, refrigerandi ardorem concupiscentiae: tertiam, lavandi; & mundandi sordes atque maculas peccatorum: quartam, irrigandi; & foecundandi terram cordis humani, ut suaves, atque uberes virtutum fructus proferat, & huc pertinet illud Davidis: Anima mea sicut terra, sine aqua ibi. Ratio adjecta supponit esse sermonem de sententia judiciali, & destruit propria: si enim fluvius ille exprimit horrorem, quomodo potest esse fluvius pacis, quem commendat ex Esaia *Fernandius*, si igneus simpliciter, quomodo nisi extraordinarie non omne obvium exuret. Ignis enim in fornace babilonica fuit instar auræ, non ex nativâ conditione, sed extraordinariâ divinâ dispositione, rapidum esse hoc flumen non habetur ex ebraei textus veritate, & proinde frustra ingeritur, eo ipso autem quo *Fernandius* agnoscit facie illâ, à quâ fluvius ille dimanat intelligi secundam personam, λόγος æternum imaginem DEI substantialem & à facie illâ egredi & dimanare dicitur fluvius ille, agnoscere tenebitur Spiritum S: designari, utpote qui à Patre non tantum, sed & à Filio procedit, detur enim vel unicus locus Scripturæ, in quo à facie Patris adeoque à Filio, ut admittit, dicatur procedere sententia judicialis, & non potius illo Verbo denotetur substantiæ alicujus dimanatio. De strepitu nihil est in textu & *Milium* propterea terebrat, qui vult obtinere sententiam judicalem indicari edendam publicè & cum clamore, idque ad distinctionem particularium sententiarum, quæ privatim ac mentaliter in singulas personas feratur, falsum dicit, qui merita & demerita ad libram judicii divini appendenda esse affirmat & retributiones diversas illis attemperandas docet, hariolationes extra Scripturam proponit, qui in die judicii universalis particulare quoddam præmittendum esse existimat universale, nec quicquam huic intento conducit vel locus Rom. 2. v. 13. vel Psalmi 74. v. 9. ille enim tantum ostendit conscientiae vim in die, cum judicabit DEUS occulta hominum, non autem judicium particulare connexum judicio universali, stabilit, quod quidem secundum communem Theologorum sententiam præmittitur quidem, sed confestim in ipsa morte uniuscujusque subeundum videatur in hanc rem locus Pauli Ebraeor. 9, v. 27. hic verò non agit



agit de die extremi iudicii, sed ordo iudiciorum divinatorum præsentatur in illis verbis, conformiter locis Jerem. 25. v. 12. 29. Ezech. 9. v. 6. 1. Petr. 4. v. 17. Unde ipse Bellarminus explanatione in Psalium hunc ab hac sententiâ recedit, & quanquam ultima verba referat ad iudicium extremum, tamen laxius totam sententiam accipit. Verba leguntur pag. 420. *Et Simeon de Muis Aurelianensis Archidiaconus Sueffonenfis Sacrarum Ebraeorumque Literarum apud Parisos in regio Francia Collegio Lector ac Professor regius ita ad hæc verba commentatur: Hic pingitur DEUS unâ ex parte amplum calicem vini meri ac rubentis, sed probè tamen aquâ diluti manu tenens, ex eoque calice liquidius ac dilucidius vinum suis propinans: ex alterâ verò parte, impios ad excugendas, atque epotandas calicis faces non sine horrore adigens: quâ imagine significabatur, DEUM bona quidem, sed multis tamen aduersis temperata, nè videlicet nimia prosperitate corrupti ac velut ebrii luxuria & lascivia diffuant, suis largiri: contra verò horrenda mala, quando visum est, impiis immittere. Igitur DEUS impios illos superbos, quando, vult, deprimit, contra bonos extollit, quemadmodum dicitur in mox precedente versiculo. Huc pertinet illud Esaie 51. v. 17. Expergiscere, expergiscere, surge Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem ire ejus: faculentum (Vulgatus usque ad fundum) bibisti, exuxisti. Vini meri: ad verbum & vinum quod est in eo calice sc. rubet, id est, optimum est: Vinum enim rubrum apud Judæos fuit præcipuum: quod vel indicat illud Prov. 23. v. 31. Ne intuearis vinum, quod rubrum sit, quod det &c. Cætera loca Matth. 3. & Act. 2. supra discussa invenies.*

C.

Quam profundè verò Lux de Deo usurpata nobis Deum depingat, non tantum constat ex naturâ illius ita representata, & attributis, sed etiam si attendamus ad summum illud Mysterium Trinitatis, cum enim Filius sit Deus de Deo Lumen de Lumine, ideoque cum illi hoc Nomen tribuitur, ipsa illa æterna admiranda & eminent generatio connotatur, quorsum quidem referimus præter supra allegata illud Pauli Ebraeor. 1. v. 3. scribentis de Filio Dei, quem constituit hæredem omnium, per quem & Mundum constituit, sive condidit, quod sit Effulgentia Gloriæ, & Character Personæ ejus, sustineatque omnia Verbo potentæ suæ. In quæ verba non malè B. noster Gerbardus: Confertur Filius DEI Luci

Q 2

24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1



Luci è Sole emananti, unde Symbolum Nicennm eum vocat Lumen de Lumine. Respectus autem habetur in hac comparatione 1. ad æternam Filii ex Effentiâ Patris generationem, per quam Pater divinam suam Effentiam, Majestatem & Gloriam communicavit ei. 2. Ad temporalem sive in tempore factam Manifestationem, quia Pater per Filium suam voluntatem hominibus patefecit Sap. 7. v. 25. de Sapiencia dicitur, quod sit *σοφία τῆς ἑ παντοκράτορος δόξης ειλικρινῆς* Enarratio Gloriæ, quæ est Omnipotentis sincera versu 26. *ἀπύχασμα ἃ ἐστὶν φῶς ἀδιε καὶ ἰσότηρον ἀκηλίδωτον τῆς ἑ Θεῆ ἐνεργείας καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτῆς*, qui locus huic nostro quodammodo parallelus. Et addit, Quare dicitur Splendor Gloriæ divinæ. Respondetque *primò* respectu Originis. *δόξα* est Lux copiosa & quasi Fons Luminis in substantia lucida Luc. 2. v. 9. *ἀπύχασμα* est resplendentia sive fulgor à Luce editus. Sic Deus Pater est Fons Deitatis, Filius Deitatem à Patre in æterna generatione accepit. *Secundò* ratione temporis. Sicut Splendor non ratione temporis, sed ordinis est Sole posterior, sic Filius est à Patre non temporis sed ordinis respectu. *Tertiò* respectu Qualitatis. Splendor à Sole suum habet Esse non contingenter, sed necessariò; non desinenter, sed semper: producitur à Luce absque defluxu & decisione. *Quartò* respectu formalitatis. Filius est Splendor Gloriæ paternæ non accidentalis, sed substantialis, quia in persona Filii Gloria, Majestas, Sapiencia & Potentia Patris resplendet. Adde quæ habet *Dn. D. Alberius Graumerus* in Commentario ad hæc verba Apolltoi.

## C I.

Confirmat Lucis de Luce processum ex Patribus, quorum plures forsan infra adducendi. *Lactantius*, qui libro quarto §. 29. scribit: Una utrique Patri scil. & Filio mens, unus Spiritus, una Substantia est: sed ille quasi exuberans Fons est, hic tanquam defluens ex eo Rivus: Ille tanquam Sol, hic quasi radius à Sole portectus, qui non separatur, sicuti nec Rivus à fonte, nec Radius à Sole: quia & aqua fontis in Rivo est, & Solis Lumen in radio.

## C I I.

Aliquid volunt quidam etiam de hoc dimanasse ad Platonem, secundum quem Deus sive *πῶ ἀντίστατον* sua fecunditate omnia producit desiderio sui, omnia calefacit, & tandem perfectionem suam



suam omnibus rebus tribuit, videatur *Mornæus* in libro de Veritate Religionis Christianæ cap. 5. Sed rectè *Ludovicus Vives*, *Plato* & alii omnes, sit quid de Filio dicebant, loquebantur magis, quam quid loquerentur, sciebant vel intelligebant: Cognitio hujus Doctrinæ est non gentilitiæ, sed christianæ.

## CIII.

*Johannes Crellius*, *Francus* Apostata in Commentario ad hæc verba ita loquitur: Adhuc plenius & veluti resumpto impetu Christi præstantiam describit. ὁ ἄν. Participium ἄν est & præsentis & præteriti imperfecti temporis. Itaque verti potest vel per præsens, vel per præteritum imperfectum; quia tamen connectitur cum Verbo temporis præteriti ἐκάθισεν confedit, videtur potius per præteritum esse vertendum. Itaque describit primò Christi præstantiam, qualem habuit etiam in terris agens: non quod ea cessaverit, postquam in cælum fuit evehctus, sed quod etiam antea in eo fuerit. Nam cum postea subjiciatur, cum purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta confedisse in dextra Majestatis in excelsis dubitari non potest, quin eadem & longè major illius postea extiterit præstantia, quam antea fuisset. Ἄπύλασμα est Splendor ac Jubar ex lucido aliquo corpore promanans: idè dicitur esse ἀπύλασμα τῆς δόξης. Per δόξαν enim intelligitur ipsius DEI lucidissima illa & gloriosissima Majestas, cujus Majestatis Christus Imago quædam, ac veluti resplendentia fuit. Cum ipse Deus ab hominibus conspici non posset propter immensam & infinitam suam Lucem, Lucis suæ veluti radium quendam, ac Jubar emisit, & in illo hominibus Majestatis suæ conspectum quendam exhibuit. Hanc autem appellationem Christo tributam esse idè multi putant, quod divinam Voluntatem, quam nemo videre potuerit, ipse nobis enarraverit, quo etiam sensu Paulus Christum Imaginem DEI inconspicui vocavit Coloss. 1. v. 15. Sed nihil prohibet, quo minus hanc appellationem & descriptionem latius extendamus, & referamus ad universam similitudinem, quam Christus in terris vivens cum DEO habuit, & quæ Deum nobis retulit, ac repræsentavit: ita ut hoc idem sit cum eo, quod de Christo scripsit Paulus Phil. 2. v. 6. cum fuisse in forma Dei & Deo æqualem. Ea erat Sapientia, ut Dei arcana nosset, & Dei nomine oracula ederet, ac responsa daret, ut hominum cogi-



tationes & corda cognita haberet; eâ sanctitate, ut esset sine omni macula; eâ potentia, ut omnibus in terris rebus, etiam Dæmonibus, ut Deus imperaret. Hinc meritò Johannes: *Vidimus*, inquit Johan. 1. v. 14. *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*. Idem aliis verbis exprimere volens subjungit Author. Et figura vel character Substantiæ ejus. Character est forma ab aliquo Archetypo impressa. Deus vel hypostasis Dei, est  $\chi\epsilon\tau\omega\sigma$ , Christus est Character illius, vel  $\chi\alpha\rho\alpha\tau\epsilon\rho\sigma$ , Deus illi suam veluti formam impressit, sic ut nobis ipsum Deum referret. Idè etiam ipsemet dixit Johan. 14. v. 9. *Qui me videt, videt & Patrem meum*: Propterea, quod & verba Dei loqueretur, & opera ederet. Substantia seu ut est in græco textu. Hypostasis DEI sumitur pro ipso DEO, vel si mavis pro persona DEI. Idè autem Hypostasis voce videtur esse usus, ut tantò melius exprimeret, quid inter Deum & Christum, Deo aliòquin simillimum & eum representantem inter sit. Christus nempe est Character, Deus autem est ipsa Hypostasis. Pronomen ejus respicit etiam ad nomen Gloriæ, cumque eo non minus, quam cum voce Hypostasis, construi debet.

## CIV.

Verùm hæc redolent Scholam Socinianam, nec Veritati & Menti Spiritus S. conveniant. In limine errat primò *Schlichtingius*, dum verba  $\delta\sigma\ \acute{\omega}\nu$  putat verti posse per præteritum imperfectum hoc modo: qui cum esset, vel per præteritum, quia connectatur cum verbo temporis præteritis  $\acute{\epsilon}\nu\alpha\delta\iota\sigma\tau\epsilon\nu$  confedit. Nam primò repugnativa significatio phrasæ  $\delta\sigma\ \acute{\omega}\nu$ , quæ præsens aliquod non præteritum indicat. Repugnant Versiones, Syra, quæ ut *Trostius* habet ita: Qui est Splendor Gloriæ ejus. Arabica, quæ legit: Ipse est Splendor Gloriæ ejus, observante *Ludovico de Dieu*, Vulgata, & *Erasmi Schmidii* Græcæ linguæ peritissimi, quarum utraque habet, qui cum sit Effulgentia Gloriæ. Repugnat Scopus Pauli, qui est extollere Christum, non deprimere, designare aliquid necessarium & perpetuum, non contingens & transitorium, non indicare quando cœperit esse Splendor, sed quod sit hoc naturæ & essentiæ Filii, quod Splendor Gloriæ, nec obstat vox  $\acute{\epsilon}\nu\alpha\delta\iota\sigma\tau\epsilon\nu$ , quæ præteriti temporis, cum pariter possemus opponere vocem  $\phi\epsilon\gamma\omega\nu$ , quæ præsentis & pro præsentis ex connexionem argumentari, nec necessarium, ut si vox  $\acute{\epsilon}\nu\alpha\delta\iota\sigma\tau\epsilon\nu$  præteriti temporis etiam  $\pi\acute{\omega}\sigma\ \acute{\omega}\nu$  ita exponatur.

Se-



Secundò malè vocabulum ἀπείρασμα explicat, quod sit Splendor ac Jubar ex lucido aliquo corpore promanans sanè ἀπείρασμα non tantùm est Splendor Corporis, sed & Spiritus & usurpatur de Luce æternâ cum de Sapientia dicitur, ipsam esse ἀπείρασμα *ἁγίας αἰδώς* Sap. 7. v. 26, malè per δόξαν intelligit ipsius Dei lucidissimam & gloriosissimam Majestatem; cujus Majestatis Christus Imago quædam & Resplendescencia fuerit, quasi sc. fuerit tantùm Imago accidentalis non substantialis, Resplendescencia diversa ratione Essentiæ, non eadem in Naturâ. Malè denique dicit, cum ipse Deus ab hominibus conspici non posset propter immensam & infinitam suam Lucem, Lucis suæ velut Radium quendam & Jubar emisisse, & in illo hominibus Majestatis suæ conspectum quendam exhibuisse, quasi Christus fuisset merus Homo, nec Deum aliter nisi invisibili formâ repræsentaverit, nec infinitæ Lucis fuerit particeps, essentialiter. *Terrid* & suos deserit, & propria vineta cædit & fallit. Suos deserit *Schlichtingius*, qui Christo voluerunt tributam esse hanc appellationem idèd, quod divinam voluntatem, quam nemo videre potuerit ipse nobis enarraverit, quod Socino primipilo Sectæ hujus placuit, seipsam cædit; dum refert ad illam Sapientiam Filii Dei, ut Dei arcana nosset & Dei nomine Oracula ederet, ac responsa daret, ut homines cogitationes & corda cognita haberet; ad eam sanctitatem, ut esset sine omni macula; ad eam potentiam, ut omnibus in terris rebus, etiam dæmonibus ut Deus, imperaret, at qui ita est Splendor Gloriæ divinæ, ut non tantùm arcana Dei nosset, Deique nomine Oracula ederet, ac responsa daret, sed & ut hominum cogitationes & corda cognita haberet, ille sanè non erit Splendor accidentalis, sed substantialis, non imago quocunque modo repræsentans, sed ejusdem perfectionis Majestatis & naturæ cum Patre, cum *ναρθηρωσία* non nisi soli Deo conveniat, docente nos Scriptura 1. Reg. 8. v. 39. Pf. 7. v. 10. Jerem. 11. v. 20. cap. 17. v. 10. & cap. 20. v. 12. qui eâ sanctitate post lapsum genus humanum; ut esset sine omni macula, ille sanè Pater Luminum, apud quem non est Transmutatio aut conversionis Obumbratio Jacob. 1. v. 17. *Ille est Sol Justitiæ, sub cujus alis Salus*; Malach. 4. v. 2. Ille referendus est ad illum, qui describitur, quod inter Sanctos ejus nemo immutabilis sive integer, & in cujus conspectu cæli non sint mundi Jobi 15. v. 15, qui denique ita Splendor est Gloriæ divinæ, ut

24

23.8

22.

21.0

20.5

20.

19.

18.

17.

16.

15.

14.

13.

12.

11.

10.

9.



ut gaudeat eâ potentiâ, quæ omnibus in terris rebus imperat, quâ aliquis ut Deus dæmonibus etiam mandat, ille non potest esse alius nisi Deus omnipotens, omnibus enim rebus in terris imperare etiam dæmonibus, & quidem ut Deum, est esse Rectorem Universi, est esse illum, de quo David Ps. 135. v. 5. & 6. Fallit denique, quia quamvis hanc appellationem extendat ad universam similitudinem, tamen in similitudine acquiescit & æqualitati illam opponit, ad similitudinem non antefecularem refert, sed quam Christus tantum in terris vivens cum Deo habuit, quasi ante carnis assumptionem nec similitudinem cum Deo habuisset, nec extitisset, similitudinem denique illam per repræsentationem qualemcunque exponit, atq; ita etiam verba Pauli Philip. 2. v. 6. contra mentem illius accipit. Præfert certè Apostolus Christum omnibus creaturis, & dicit versiculo quarto & quinto: *Tantò præstantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis sortitus est Nomen: cui enim dixit unquam Angelorum scil. Deus? Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Et rursum: Ego ero ei Pater, & ille erit mihi Filius.* & vsu sexto: *Rursum autem quando inducit primogenitum in Orbem terrarum, dicit: Et adoratio eum omnes Angeli Dei.* At si Christus dicitur Splendor Gloriæ divinæ, ut vult *Schlichtingius*, tantum ex similitudine quam in terris vivens cum Deo habuit, in Sapientiâ, Sanctitate, & Potentiâ, quam sibi concepit *Schlichtingius*, parum aut nihil superior fuit Angelis, & de illis quoque dici potest, quod sint Splendor Gloriæ divinæ. Nam & in illis insignis Sapiencia, Sanctitas & Potencia refulget, imò ipsi homines, in primis si recurramus ad Protoplastos consimiles fuerunt Deo Sapienciam, Sanctitatem & Potenciam sive Imperium quoddam singulare exponentes, atque ita inter Christum, quem Paulus Filium Dei vocat, Hæredem omnium constitutum dicit, Splendorem gloriæ & Characterem personæ laudat, Angelis Supremo Ordini in creaturarum serie præfert, & creaturas angelicas & rationales tantum graduale discrimen erit, participantibus cum eodem de tantâ supereminenti Dignitate etiam Angelis & hominibus, planè contra mentem Apostoli quæ est omnes titulos & epitheta, omnia axiomata & dignitates, omnia opera & actiones planè singulares Christo appropriare, illi soli tribuere, atq; à Prophetis, hominibus cujuscunque ordinis, dignitatis & status, imò etiam ab angelicis mentibus & Spiritibus beatis atque in bono confirmatis remove.



